VIRIS STUDIOSIS

Haeredes Joannis Laurentii

Barbiellini

Bibliopolae , & Typographi Romani.

LIBRORUM Mercatura , quam profitemur, experimento nos edocuit , avide , ſollicitеque a Vobis,Viri ſtudioſi, illos perquiri libros , in quibus clare , & accurate deſcribuntur ſolemnia , quae ab eccleſiaſticis , ſaecularibuſque Principibus , & praeſertim a Romanis Pontificibus identidem celebrantur . Convolant ex remotiſſimis etiam Regionibus Homines ad hanc Urbem celeberrimam,non tam Religionis fervore excitati , aut deſiderio permoti , Romana aedificia , & quae in illis pretioſa quaelibet aſſervantur , coram contemplandi , quam ut mirum ſplendorem, & ordinem , quo Romae permultae ſolemnitates celebrari conſueverunt, propriis oculis intueantur . Verum tot Advenae , imo Romani ipſi , & qui Romae ſedem vel a teneris unguiculis habuerunt, quamvis ſaepius ſpectatores fuerint praecipuarum ſolemnitatum , atque illorum aliqui ex Libris Caeremonialibus Romanae Eccleſiae normam , juxta quam illae celebrantur, egregie didicerint , maxime tamen

delectantur, cum typis deſcripta legunt ſolemnia, quibus adfuerunt; & eo magis ipſos lectio recreat, quo diſtincte peractarum ſolemnitatum ſingulae partes deſcribuntur; tantoque in pretio ab aliquibus hujuſmodi deſcriptiones habentur, ut ex illis plurimum Hiſtoriarum ſtudia juvari judicent.

Quamobrem magnam in ſpem venimus non minimam ſane a Vobis caeremonialium, & hiſtoricarum rerum Amatoribus inituros eſſe gratiam, ſi nos in publicam lucem edere curabimus caeremoniales collectiones, quas permoleſto, & diuturno labore ex voluminibus MSS. Vir nobis benevolus decerpſit, in certas claſſes diſtribuit, pluribuſque modis exornare ſtuduit. Hujus Operis proſpectum breviter ante oculos veſtros exponemus, ut, priuſquam prodeat, illius utilitatem judicio veſtro comprobetis, quod cum acceſſerit, editionem ipſius, alacrius urgebimus. Praecipua cura fuit in hoc opere texendo ex MSS. Diariis mole pinguibus, numero multis Caeremoniariorum Pontificiorum, illorum videlicet, qui bene dirigendis, & exequendis caeremoniis praefuerunt, atque ex proprii muneris debito ſingulas ſolemnitates, & caeremonialia acta, prout geſta ſunt, litteris tradiderunt, attente omnia decerpere, quae a Romanis Pontificibus, a S. R. E. Cardinalibus, a Regibus, magniſque Principibus, & Oratoribus, qui Romam venerunt, atque a Romanis proceribus, praecipuiſque Curiae, & Urbis Adminiſtris facta narrantur in Eccleſiis, in Conſiſtoriis, per Urbem, ſive cum Pontifex Romae moraretur, ſive cum Ipſe, ipſiuſve Legati aliò profecti ſunt, ſive vacante Apo-

ſto-

ſtolica Sede: Id demum omne, quod ſolemne, ſplendidum, ſingulare, & memoria dignum in Diariis reperitur, iiſdem verbis exſcribere, quibus Caeremoniarii rem geſtam, cui officio proprio defungentes interfuerant, nitide, & diſtincte deſcripſerunt, illis penitus rejectis, quae nonnunquam falſis rumoribus aurem praebentes, & extra fines caeremoniales evagando non ſervatis prudentiae regulis inſeruerunt.

Ne vero ferme tantum rerum edendarum moles inutiliter excreſceret, quantum Diaria ipſa continent, neve viciſſim a collectione deeſſent, quae Diaria referunt, caute proviſum eſt, ut nec brevitatis deſiderio ulla ex Diariis notabilia omitterentur, nec nimia ſuperfluitate Collectio redundaret. Alterutrum horum equidem contigiſſet, ſi aut frequentes ejuſdem ſolemnitatis deſcriptiones ederentur, prout a quolibet Caeremoniario exponuntur; aut unica tantum deſcriptio pro qualibet ſolemnitate eligeretur, reliquis praetermiſſis, in quibus aliquae peculiares mutationes caeremoniales contigerunt, aut quidam ſingulares eventus enarrantur. Nullus igitur Caeremoniarius Scriptor debita laude fraudabitur, cum accurate res geſtas, & peracta ſolemnia expoſuit; neque ulla caeremonialis variatio praetermittetur, ſive cum novae caeremoniae uſurpatae fuerunt, ſive cum veteres iterum reſtitutae videbuntur. Cum vero oportuit immoderatam verboſitatem, inutilemque repetitionem ſimilium narrationum fugere, & paucis verbis multa ſuperflua indicare, de contractione, aut mutatione verborum facta Lectores diverſis characterum typis, vel praemiſſis monitis fideliter admonebuntur.

 Quod

Quod autem ſpectat ad ſolemnitates, aut rarius celebratas, aut ſplendoris magnificentia maxime conſpicuas, quot in Diariis habentur, totidem pene in hac collectione deſcribentur, illaeque praeſertim, quae a diverſis Caeremoniariis clare, ac concinne exponuntur, quia licet caeremoniarum apparatus in ſingulis illis ſolemnitatibus fuerit uniformis, tamen Perſonarum dignitas, comitatus copia, ornatus ſplendor, & magnificentia ſingularis, qua celebratae ſunt, ſaepiſſime novitatem poſterorum memoria commendandam addiderunt. Ut enim praecipuae hae ſolemnitates abſque Diariorum mutilatione praetermitti nequiverunt, ita facile quilibet veſtrum intelliget ex earumdem deſcriptione Hiſtoriarum cultoribus novam materiem rerum ſuppeditari, quemadmodum aliqui Eccleſiaſticorum Annalium Scriptores ex nonnullis Diariorum fragmentis geſta quorumdam valde luculenter expoſuerunt.

Diaria caeremonialia, quibus Collectio iſta contexitur, hos habuerunt Scriptores, videlicet Joannem Burcardum ſub Innocentio VIII. Alexandro VI. & Pio III.; Paridem de Graſſis ſub Julio II. & Leone X., Blaſium de Martinellis ſub Hadriano VI. Clemente VII. & Paulo III., Joannem Franciſcum Firmanum ſub Julio III. Marcello II. Paulo IV. & Pio IV., Cornelium Firmanum ſub Sancto Pio V. & primordiis Pontificatus Gregorii XIII., Franciſcum Mucantium ſub Gregorio XIII. Siſto V. Urbano VII. Innocentio IX., Joannem Paulum Mucantium ſub Gregorio XIV. Clemente VIII. Leone XI. Paulo V., Paulum Alaleonem ſub Sixto V. & aliis Pontificibus ſequen-

quentibus etiam Gregorio XV. & Urbano VIII., Gaſparem Servantium ſub eodem Urbano VIII., Fulvium Servantium ſub Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. Clemente X. & Ven. Innocentio XI., P. P. Bonam ſub eodem Ven. Innocentio XI. Cum autem Joannes Franciſcus Firmanus plura omiſerit, vel quaedam ſummis tantummodo digitis attigerit, ipſius defectum aliqua ex parte ſuppleverunt Diaria Angeli Colaine ex Regione Transtyberina, & Angeli Maſſarelli. Horum omnium Diariorum ſeries incipit ab anno 1484., & deſcendens uſque ad finem anni 1684. binas annorum centurias complectitur; nec ad nos proximius eadem ſeries trahi potuit, quoniam recentiorum Caeremoniariorum Diaria hactenus obtineri nequiverunt; quae ſi evolvere Collector poterit, opportuna ex illis ſeliget excerpta huic collectioni ſaltem appendicis loco addenda.

Antiquiorem Burcardo Caeremoniarium, qui Diaria ſcripſerit, nullum vidit noſter Collector in Archivvis excepta epiſtolari narratione Auguſtini Patritii de adventu Frederici III. Imperatoris in Urbem, quae jam edita fuit. Attamen cum ipſe iterum Diaria Pontificia Romae ſcripta Antonii Petri, Pauli Petronii, & Joannis Maffei, quae in collectione Scriptorum Rerum Italicarum fuerunt collocata, cum aliis apographis contulerit, atque ex illis fragmenta quaedam, quamvis permodica, decerpi poſſe adverterit, quae huic operi inſerantur, eadem ſelegit, praeſertim ex Diario Petri, quod cum latino, & italico ſermone conſcriptum inveniatur, dum occaſio ſe offeret brevia ejuſdem excerpta recitandi, non ex latinis apo-

graphis, quae tantum lucem publicam aſpexerunt, ſed ex italicis depromentur. Alia inſuper fragmenta decerpſit a MS. Diario Pauli Benedicti Regionis Pontis, qui italico ſermone ea enarravit, quae Romae ab anno 1422. ad annum 1452. contigerunt: atque his, aliiſque fragmentis collectio iſta ditescens, illa etiam complectetur ſolemnia Romae celebrata, quae in Diariis Romanis ſaeculo 15. ante Burcardi caeremonialia Diaria ſcriptis reperiuntur.

Quo vero ordine tam multa, & varia Diariorum excerpta in hac collectione diſponantur Vobis, Viri optimi, paucis exponimus. Cum Diariorum textura expoſceret, ut ſingulae ſolemnitates, & res geſtae deſcriberentur, ſervata annorum, dierumque ſerie, in quibus peractae fuerunt; hinc graviſſimum, ingratumque laborem ſuſtinere compellerentur Lectores, qui ut plene feſtivitatis cujuslibet ſingulis annis, aut ſaepius celebratae caeremoniales obſervationes aſſequantur, continuo per ſingulos Diariorum annos excurrere cogerentur, in quibus eadem feſtivitas, ſeu publica actio deſcribitur. Moleſtum adeo Lectorum onus Collectio iſta abſtulit, qua Diaria excerpta in diverſas claſſes dividuntur; quarum

I. Ea continet, quae Romani Pontificis Perſonam proximius contingunt, Electionem videlicet in conclavibus factam, Conſecrationem, Coronationem, ſolemnem ad Lateranum Equitationem, Itinera, Mortem, novemdiales Exequias, & Cadaverum translationes.

II. Plurima Acta Conſiſtorialia enarrat.

III. Complectitur ſolemnitates omnes, quae pro S. R. E. Cardinalibus fieri conſueverunt in-

incipiendo ab illorum creatione uſque ad eorundem exequias.

IV. Legationes Cardinalium colligit.

V. Exponit ſolemnia in celebratione Eccleſiaſticorum Officiorum, quae in feſtivitatibus per anni circulum occurrentibus peraguntur.

VI. Sacras ſolemnitates exhibet, quae aut raro, aut nonniſi certis de cauſis, vel ſingularis pietatis gratia a Romanis Pontificibus celebrantur.

VII. Solemnia, reſque geſtas congregat, cum Reges, magni Principes, & Oratores publice Romam ingreſſi, & a Pontificibus excepti fuerunt.

VIII. Omnia colligit, quae Pontificiae Curiae Miniſtros, Romanae Urbis Proceres, Militiae Sacrae Equites, & quae demum reliqua in Diariis continentur.

Quaelibet autem harum claſſium, vel aliarum, quae pro opportunitate fieri poſſent, iterum in plures Titulos diſtribuitur, ad quos abſque confuſione ſingula Diariorum excerpta revocantur. Quantam vero facilitatem, & commodum Lectoribus allatura ſit haec diſtributio Vos, optimi Viri, illico concedetis; quoniam inde promptiſſime deprehendi poterunt, quae fuerint in ſingulis ſolemnitatibus obſervata, quae nonnumquam in earum celebratione variata, & qui peculiares eventus acciderint. Quod ſi hac excerptorum partitione facta diſſoluta fuit Diariorum textura, nec res geſtae eo dierum ordine in hac collectione tradantur, quo in Diariis collocatae leguntur; integra tamen adhuc ſervatur Diariorum ſeries in quolibet Titulo, ubi temporum ratione retenta ordinate excerpta Diaria collocantur.

Intra ſolos Diariorum limites non coarctabitur Opus, quod nos edituri ſumus. Nam cum Collector advertiſſet decerptas e Caeremoniariorum libris narrationes aliquibus carere ornamentis, quibus ſi inſtruerentur, gratiores, utilioresque evaderent, propterea alia MSS. volumina evolvit, ex quibus multa eruit, quorum omnium ope ea ſupplentur, quae in Diariis deſunt, majorique in lumine collocantur; & authenticis monumentis exornantur, quae a Diariis proferuntur. Commentarios de rebus geſtis in Conclavibus perlegit; ex quibus non equidem illa hauſit, quibus acerbo calamo humana facta cenſentur, & in ſenſum pravum torquentur, atque ex ſaepe confictis calumniis alienae famae detrahitur; ſed decreta a ſacris Electoribus condita, capitula ſtabilita, orationes habitas, & epiſtolas a ſacro Collegio, vel ad ſacrum Collegium ſcriptas ſelegit. Praeterea ex multis literarum voluminibus magnam Epiſtolarum copiam exſcripſit Pontificum, Cardinalium, Regum, Principum, magnorumque Virorum hac atque illac Diariorum excerptis ſubjiciendas, prout occaſio poſtulaverit. Maximam etiam curam impendit, ut ex voluminibus Rerum Conſiſtorialium Decreta, & Acta colligeret, publica luce equidem digniſſima, & Lectoribus dubio procul profutura; quin tamen ex illis depromerentur, quae ad Eccleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem pertinent, quibus in hoc opere locus aſſignari non potuit. Demum Diaria MSS. Legationum, quas aliqui S. R. E. Cardinales obiverunt, nec a Caeremoniariis deſcriptas reperit; caeremonialia quaedam Opuſcula, Libelloſque, Statu-

tuta, Jndiculos, & alias collegit; quibus multis ornamentis, & additionibus amictae Caeremonialium Diariorum excerpta ad vivum maxime repraeſentabunt caeremonias, quae in Romana Curia obſervabantur, & adhuc paucis mutatis ſervantur.

Verum ut aliquo modo oſtenderetur diverſitas, ſi quae intereſt, inter Caeremonialia Romana quadringentis circiter ab hinc annis ſcripta, & ea, quae in praedictis Caeremoniariorum Diariis exponuntur, operae pretium fuit librum caeremonialem praemittere, in quo diſtincte tradantur omnia, quae a Romanis Pontificibus, ſuiſque Legatis, & a S. R. E. Cardinalibus in ſingulis ſolemnitatibus, & publicis functionibus ſervabantur. At qui Liber Caeremonialis Collectioni huic praemittendus prae ceteris eligi poterat, niſi ille, quem Mabillonius Vir. Cl. Ordine XIV. edidit, & Cajetano Cardinali adſcripſit, qui licet antiquitate praecedentibus cedat, facile tamen alios inde praecellit, quod plenius, & enucleatius Pontificias, Romanaeque Curiae caeremonias omnes clariſſime referat, & exponat? Verum ſi Liber iſte tantummodo juxta Mabillonii editionem iterum evulgaretur, Vobis, Viri eruditi, gratus non fuiſſet; quibus tamen acceptum fore confidimus, qualem ex Codicibus Vaticanis Collector deſcripſit. Nam & diverſos Vaticanos Codices aſpero labore inter ſe comparavit, eoſdemque iterum cum edito Mabilloniano contulit; tantiſque, & magnis diverſitatibus, additionibuſque illorum aliquos ab iſto differre deprehendit, ut collectioni huic praeponendus Liber Caeremonialis ferme ineditus nuncupari poſſit; vel ſaltem propter plu-

rimas varietates, & additamenta, quae ex omnibus codicibus ſelecta fuerunt, nova editio Libri Caeremonialis a Vobis probabitur. Hujus caeremonialis editionem excipient duo alii breviores ordines caeremoniarum Romanae Curiae ex duobus codicibus deſcripti, e quibus unicum tantummodo excerptum hactenus publicam lucem aſpexit; tum alia nectentur, quae licet ex MSS. non annoſae antiquitatis eruta fuerint, ornatum tamen addent collectioni, lumen ſplendidius conſuetudinibus Romanorum Pontificum, Romanaeque Eccleſiae effundent, & Vobis jucundam lectionis materiem ſuppeditabunt.

Collectionem iſtam rerum caeremonialium Sanctae Romanae Eccleſiae tam multa, & varia complectentem quinque, aut fortè quatuor voluminibus in folio comprehendere conabimur.

PRIMUM VOLUMEN continebit libros caeremoniales, aliosque ordines ex MSS. Codicibus erutos; & partem illam Diariorum, quae proximius Pontificum Romanorum Perſonas reſpicit; nempe excerpta de Conclavibus, & electione illorum a Gregorio XII. ad Ven. Innocentium XI. uſque perducta. Conſecrationes Pii III. Leonis X. Clementis VIII. Solemnes coronationes, & equitatus ad Lateranenſem Baſilicam plurimorum Pontificum. Quod ſi voluminis moles patietur, edentur excerpta novemdialium exequiarum RR. Pontificum, & rerum geſtarum a Cardinalibus ante ingreſſum in Conclave; & denique alia excerpta de Anniverſariis coronationis, & mortis RR. Pontificum, cum deſcriptionibus translationum Cadaverum Hadriani VI. Pii IV. S. Pii V. Sixti V. Urbani VII. Clementis VIII. Pauli V.

V. & Innocentii X. Haec claſſis Diariorum abundabit epiſtolis, quae ſcriptae fuerunt vel ad electos Pontifices, vel a Pontificibus poſt electionem; pariter a Cardinalibus nunciantibus mortem Pontificis, aut e Conclavi ad magnos Principes, & viciſſim ab illis ad Cardinales in Conclavi congregatos. Addetur Epiſtola B. Nicolai Cardinalis Albergati de morte Martini V., & alia Abbatis S. Galgani de morte Eugenii IV. Praeterea inſtructio data Cardinalibus ad electum Hadrianum VI. in Hiſpanias miſſis cum formula, qua ipſe Papatum acceptavit, & Literis ab eodem Pontifice poſt praeſtitum electioni aſſenſum ſcriptis ad Cardinales, Populumque Romanum. Pariter Epiſtola Cardinalis Ludovifii de Reformatione Conclavis, aliaeque plures Epiſtolae edentur: Decreta itidem aliquot vacante Sede Apoſtolica a Cardinalibus facta, praeſertim vero plura capitula ab illis concorditer ante electionem Pontificis in Conclavibus ſtabilita; & demum alia quaedam, quorum ſingularis mentio hic a nobis abſque prolixitate fieri nequit.

In Secundo Volumine deſcribentur ex Diariis itinera RR. Pontificum, quae in primo collocari non poſſunt, Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. Clementis VII. Bononiam ad coronandum Carolum V. Imperatorem, & Maſſiliam ad jungendos in matrimonium Henricum Aurelianenſem Ducem, & Catharinam Duciſſam de Medices, Pauli III. Peruſium, Placentiam, Nicaeam, & alibi; Julii III. Sixti V. Clementis VIII., cujus geſta Ferrariae narrantur, & brevia quaedam itinera aliorum Pontificum. His editis ſequetur alia pars Diario-

rum,

rum, ubi univerſim de Conſiſtoriis, & Congregationibus Generalibus agitur; & de illis inſuper, quae a RR. Pontificibus in primo Conſiſtorio fieri ſolent. Quoniam vero hujus Partis excerpta brevia ſunt, propterea ſtatim addentur Acta ſelecta Conſiſtorialia ab anno 1498. uſque ad annum 1682.; vel etiam majora, ſi Collectori occurrent.

TERTIUM VOLUMEN habebit multa ex Diariis decerpta, quae ad Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinales attinent, nempe de illorum creatione, veſtibus, inſignibus, ſolemni ingreſſu in Urbem, & ad Conſiſtorium, acceſſu ad Eccleſias Titulares, & optione Titulorum. Alia poſtmodum de Cardinalibus Epiſcopis Suburbicariis, & SS. Apoſtolorum limina viſitantibus; de Archipresbyteris Baſilicarum Urbis, Vice-Cancellario, Camerariis S. R. E., & Sacri Collegii, Majore Poenitentiario, & Protectoribus Regnorum, vel Ordinum Regularium. Praeterea de actibus ſolemnibus, quibus aliqui Cardinalitiam dignitatem dimiſerunt; vel ab eadem propter gravia ſchiſmatis ſcelera, & rebellionis depoſiti primum, tum poſt poenitentiam in eundem gradum fuerunt reſtitui. Denique de pompa funebri in exequiis eorumdem agetur. Hanc claſſem Diariorum augebit opuſculum de modo publicandi novos Cardinales, & impoſitione bireti rubei; Libellus Paridis de Graſſis de Cardinalibus; Titularium quoddam, & nonnullae Conſtitutiones, Epiſtolae Pontificum, & Principum pro Promovendis, & Promotis ad ſacram Purpuram, Eccleſiaſque Epiſcopales; aliae a Pontificibus ſcriptae ad Cardinales, ad quos rubra bireta mittebant; aliae multae gratu-

tulatoriae ad Cardinales poſt promotionem, vel ab iſtis ad factum Collegium miſſae; aliae Cardinalium ſponte dignitati cedentium; aliaeque quamplures ad Cardinales, vel pro Cardinalibus, & in eorumdem commendationem ſcriptae.

Quod ſi volumen iſtud alia ferre poterit, etiam Legationes Cardinalium complectetur; ſin minus hae in ſequenti volumine edentur. Et in primis de Legatis in Ditionibus Romani Pontificis, pro quibus aliquot literae addentur, & tot excerpta Diaria proferentur, quot ſufficient ad expoſitionem Caeremoniarum, quae in creatione, diſceſſu, & reditu eorundem Legatorum ſervabantur. De Legationibus Cardinalium ad diverſa Regna, magnosque Principes multa ex Diariis referentur. Verum cum exceptis Legationibus Cardinalis Carvaial ad Maximillianum Imperatorem, Gallicis Cardinalium Henrici Cajetani, Alexandri Medices, Flavii Chiſii; Polonica Cardinalis Radzivilii; & Mediolanenſi Cardinalis Nicolai Ludoviſii, quas Burcardus, Alaleo, Phoebeus, & Fulvius Servantius, dum Legatos ipſos comitarentur, lato calamo deſcripſerunt, ceterarum Legationum mentio valde brevis in Diariis Caeremoniariorum reperiatur, ex aliis MSS. earum quaedam diſerte, & accuratiſſime deſcribentur, aut ſaltem epiſtolarum variarum adjumento colluſtrabuntur. Nam alibi non modica portio Diarii Legationis Cardinalis Antoniotti Pallavicini Saonam a Julio II. miſſi ad Galliarum Regem fuit inventa. De Legatione Anglica Cardinalis Reginaldi Poli aliquot epiſtolae in lucem proferentur. Pro Legationibus Ger-

Germanicis Cardinalium Aleandri, & Contareni inſtructiones datae a Paulo III. in lucem prodibunt. Epiſtolae quaedam ſequentur de Legationibus ad Caeſarem Cardinalis Marcelli Cervini, & Cardinalis Carpenſis, atque de Belgica Cardinalis Caraffae; tum aliae de Gallica ejuſdem Cardinalis Caraffae, & Cardinalis Urſini; de Scotica Cardinalis S. Andreae; de Veneta Cardinalis Philippi Boncompagni; de Gallica Cardinalis Sega; de Germanicis Cardinalis Garziae Mellini, & Cardinalis Martii Ginetti; de Hiſpanica Cardinalis Franciſci Barberini, & altera per Italiam Cardinalis Antonii Barberini; & inſuper epiſtolae addentur de itinere Cardinalis Sfrondati ad Carolum Emmanuelem Sabaudiae Ducem miſſi, & Cardinalis Antonii Cajetani Mantuam ablegati ad Imperatricem; eodemque literarum ſubſidio quaedam alia Cardinalium itinera deſcribentur; & Legatio Gallica Cardinalis Flavii Chiſii quampulchre literarum variarum beneficio ornabitur.

Legationes Hiſpanica, Luſitana, & Gallica Cardinalis Bonelli ex Diario Joannis Baptiſtae Venturini edentur. Legatio Polonica Cardinalis Henrici Cajetani ex literis ab eodem ſcriptis tempore Legationis exponetur. Legatio Gallica Cardinalis Alexandri Medices ab egregio Diario Itali Anonymi deprometur. Legationes Florentina, & Gallica Cardinalis Petri Aldobrandini a Hieronymo Agucchia deſcriptae evulgabuntur. Legatio Gallica Cardinalis Franciſci Barberini ex Diario Italico Caeſaris Magalotti ſequetur, cui plurimae literae praeſertim Urbani VIII. ſuperaddentur. Redi-

ditus Cardinalis Caroli Roſſetti ex Germanica Legatione deſcribetur ex Diario Vincentii Armanni, qui a ſecretis Legati fuerat. Hiſce verò multis Legationum deſcriptionibus, & itinerum deſcriptio accedet ſolemnis ingreſſus Neapolim Cardinalis Geſualdi, poſtquam fuerat renunciatus Archiepiſcopus; & denique iter Hiſpanicum Burgheſii, & Germanicum Bevilaquae Nunciorum Apoſtolicorum. Hinc nacta opportunitate faſciculus ſelectarum literarum conjungetur, quas Romani Pontifices ſcripſerunt, cum ad diverſos Principes, Regesque ſuos Nuncios delegarunt; atque alia haud pauca de Nunciis Apoſtolicae Sedis nectentur ex variis MSS.

QUARTUM VOLUMEN comprehendet Diaria excerpta omnium ſolemnitatum, quae in Eccleſiis, & Palatinis Capellis a Romanis Pontificibus, vel ipſis praeſentibus, vel ſaltem coram S. R. E. Cardinalibus fuerunt celebratae; & ſervata annorum ſerie ſubjicientur omnia, quae notabilia pro qualibet ſolemnitate in Libris Caeremoniariorum ſunt inventa. Singularum ſolemnitatum duae, aut tres deſcriptiones a diverſis Caeremoniariis, qui miniſterium caeremoniale eodem tempore non geſſerunt, ſaepiſſime ſeligentur; ex his autem, qui caeremoniis praeerant ſub eodem Pontifice, ferme ſemper deſcriptio ſolemnitatis illa eligetur, quae nitidior, meliorque viſa eſt, quamvis nonnunquam quibuſdam Caeremoniariis indulgere oportuerit, ne penitus eorum Diaria deſpici viderentur. Feſtivitatum ordo inchoabit a Dominica prima Adventus, & recta decurret per reliquas feſtivitates, diem, tempuſque fixum ha-

habentes. Cum autem de Benedictione Enſis, Pilei, & Roſae aureae Diaria excerpta edentur, Epiſtolae quaedam, ſeu Opuſcula his apprime convenientia adjungentur. Similiter cum ad Feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli pervenietur, tunc plurima de conſuetis tributis Romano Pontifici oblatis, offerendiſque ex diverſis MSS. prodibunt.

Poſt fixas ſolemnitates ſequentur excerpta de nonnullis ſcitu dignis ad Capellam Pontificiam ſpectantibus; de ordine ſervato in deputatione illorum, qui coram Pontifice, & Cardinalibus ſacrificium ſolemniter celebraturi erant; de ſermonibus in Capella habitis, habendiſque; de Regno Pontificio, & ritu delationis Pontificis in ſella; de obedientiae ſigno Pontifici exhibendo ante celebrationem ſacrorum Officiorum; de mutatione capparum, & de ſimilibus pluribus, quibus illuſtrandis licet Diaria excerpta valde proſint, eadem tamen majus ornamentum ex aliis MSS. Opuſculis ſument. His expletis, extraordinariae quaedam ſolemnitates deſcribentur; multaque erunt edenda de publicis ſupplicationibus ob varias cauſas habitis; de Sanctorum Canonizationibus, & Beatificationibus Servorum Dei; de Anno Jubilaei; de Conſecrationibus Eccleſiarum, ac Altarium; & ordinationibus Cardinalium, & Epiſcoporum; de ſolemnibus translationibus ſacrarum Reliquiarum; de benedictionibus Triremium, Statuarum, Crucum, & Imaginum; de ſolemni adminiſtratione Baptiſmatis, Confirmationis, & Matrimonii; aliiſque permultis, quarum deſcriptionum occaſione accepta literarum variarum additioni-

nibus utilior, aut certe ſuavior lectio reddetur.

VOLUMEN QUINTUM ſimul colliget quotquot in Diariis diſperſa leguntur de Imperatore, Regibus, magniſque Principibus, qui Romam venerunt; quo ideſt honore a RR. Pontificibus, & a Curia excepti fuerint, quo comitatu advenerint, quae obſequii, pietatiſque argumenta Magni illi Advenae, erga RR. Pontifices, & Eccleſiae Proceres, Locaque Sacra oſtenderint. Poſtea ſequentur ſolemnitates a R. Pontifice poſt electionem novi Imperatoris, & ſucceſſionem novi Regis factae; tum de more mittendi faſcias ad Primogenitos Regios agetur, ubique reſperſis Epiſtolarum, vel aliorum Opuſculorum additionibus. His de Regibus expoſitis excerpta Diaria ſuccedent de Pro-Regibus, qui Romam venerunt; & modo, quo nobiliores Matronae ad Pontificii pedis oſculum fuerunt admiſſae. Deinde longus cathalogus ex Diariis contexetur Oratorum, qui ad Romanos Pontifices miſſi ſunt, ſive ut obedientiae, & obſequii publica & ſolemni ritu Regum, magnorumque Principum nomine teſtimonia praeberent, ſive ut negotia in Aula Pontificia gererent; eorumque ſplendidiſſimas pompas, quales in Diariis referuntur, hoc poſtremum Volumen ſpectandas proferet. In numero Oratorum aliqui ex omnibus ferme Nationibus numerabuntur non tam Europae, quam ex Regnis Moſchorum, Perſarum, Japponiae, Congi; una ſimul cum Legatis Patriarcharum Alexandrini, & Conſtaninopolitani.

Quanta autem in hac parte Diariorum acceſſio ſit facienda literarum, orationum in Conſiſtoriis habitarum, & aliorum quorumdam fragmen-

gmentorum, facile a Vobis judicari poterit.

Deinde de Palatinis Curiae, Aulaeque Pontificiae Praeſulibus, nempe de Patriarchis, Epiſcopis, & iis praeſertim, qui Pontificio Solio aſſiſtunt; Urbis Gubernatore, Rotae Auditoribus, Prothonotariis, Datario, Sacriſta, Praeceptore Hoſpitalis S. Spiritus, & Regularium Ordinum Generalibus colligentur Diaria excerpta; quibus alia quaedam aliunde petita addentur, praecipue de benedictione, traditione, & impoſitione Palliorum. His nectentur Caeremoniariorum excerpta de primoribus Romanae Urbis Proceribus, & Adminiſtris, ideſt Praefecto Urbis, Confaloneriis S. R. E., Capitaneis Generalibus, & Senatore; item de juramentis fidelitatis, quae a Conſervatoribus, Populique Romani Officialibus fiunt; inſuper de Praefecto Arcis S. Angeli: ſingula autem ferme hujuſmodi excerpta appendicis loco habebunt vel Epiſtolas, vel Capitolina Decreta, vel Indiculos minorum Officialium Romani Populi, vel alia Opuſcula non indigna, quae in publicam lucem efferantur.

Cum autem nonnunquam Romae contigerit ſolemni ritu creari Milites quoſdam, ſeu Equites S. Joannis Hieroſolymitani, Aurei Velleris, Sancti Spiritus, Stolatos, S Jacobi, S. Mauritii, immaculatae Conceptionis, Militiae Chriſti; frequenter vero Milites aureatos; propterea illa, quae in Diariis narrantur de iiſdem Militibus, Equitibuſque, huic Tomo inſerentur, ubi & occaſio ſeſe offeret edendi ſupplicem libellum exhibitum a Carolo V., ut augeretur numerus equitum Aurei Velleris; & epiſtolarem narrationem magnae ſolemnitatis Pa-

Pariſiis anno 1561. peractae, cum ſimul multi Milites S. Spiritus a Chriſtianiſſimo Rege ritu celebri fuerunt creati. Denique reliqua, quae ſupererunt in Diariis, colligentur;de Magiſtris; & Poetis a Pontifice laureatis, de publicis abſolutionibus a cenſuris, de errorum ejuratione, de Miſſa & Oratione funebri poſt mortem Regum, & Imperatoris, atque de funeralibus pompis quorumdam Magnatum, qui Romae decubuerunt; hique etiam Tituli aliis additamentis, & literarum appendicibus non carebunt. Attamen completa editione omnium notabilium excerptorum, quae a Diariis ſumpta ſunt,ſelecta tandem Opuſcula coronidis gratia edentur, quibus uberrima, & grata de Romanis, & Pontificiis Officialibus, atque conſuetudinibus inſtructio praebetur.

Operis, cujus proſpectum oculis veſtris, Optimi Viri, ruditer expoſuimus,quodque, cum neceſſitas poſtulaverit, Praefationibus, & adnotatiunculis Collector ejuſdem adſperget, editionem typis noſtris noviter fuſis, & electa charta jam inchoavimus, continuatoque labore Dei auxilio fulti ad finem uſque proſequemur, cupientes tamen hanc Societatis rationem Vobiſcum inire, ut ſi expenſarum onera ſublevare volueritis in anteceſſum ſolventes pretium cujuslibet voluminis, priuſquam e praelo prodeat, viciſſim utilitatem anticipatae ſolutionis experiamini; nam in charta maxima vigintiquinque julios, in charta minore viginti pariter julios pro quolibet volumine numerabitis; ceteri autem pro quolibet chartae maximae triginta, chartae minoris viginti quinque julios ſolvent. Quotquot ergo huic Societati uſque ad cer-

certum Sociorum numerum duraturae nomendare volueritis, pretium primi voluminis numerabitis, & a nobis ſubſcriptum chirographum recipietis, eodemque volumine edito, cum chirographum exhibebitis, & pretium anticipatum ſolvetis pro editione ſequentis, viciſſim a nobis dabitur & volumen editum, & chirographum pro ſecundo redimendo; & ſic deinceps, uſque dum tandem ultimum operis volumen Vos obtineatis nihil in fine ſoluturi. Noſtris votis Viri optimi favete, & in Domino bene valete.

Romae pridie Kalendas Julias MDCCLII.

ROMA